26

PAVLI BELLONI I.C.
PATRICII TICINENSIS
REGII MED. SENATORIS
Oratio

Habita in Templo Mediol. maximo VII. Id. Iunij Anni M.DC.XXI.

IN FVNERE POTENTISSIMI PHILIPPI III.
Hispaniarum Regis verè Catholici.



MEDIOLANI,

Apud Pandulphum Malatestam Impressorem Regium Cam.
Superiorum permissu.

Imprimatur.

F. Io. Baptista Spadius Vic. S. Inquisitionis Mediolani.

F. A. Bariola Augustinianus Consultor S. Offitij pro Illustrissimo D. Cardinali Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentissimo Senatu.

Illustriss.mo & Excell.mo FERIÆ DVCI MEDIOL. PROVINCIÆ PROREGI

Paulus Bellonus Senator fausta, & felicia precatur.



Vemadmodum non fuit humanitatis tuæ & fidei, non grauiter casu, & occasu Regis nostri Philippi III. commoueri, ita prudentiæ est, qua mirum in modum polles, dolorem, quem accepisti, ferre moderatè atque existimare hunc & alios humanos casus virtute tua longè inferiores existere. Satis funeris mæstitia, coenotaphij pompa, alijsque argumentis indicasti accepti vulneris acerbitatem. Leuet nunc illam, omnemque prorsus ex animo deleat ægritudinem fortitudo tua, & Philippus IV. Rex, qui exoriens occidentis Regis iacturam egregiè pensat, si modo is occidit, qui ex tam alto imperij gradu, & fastigio ad superos, vt piè credimus, euolauit, sibique religione & omnibus regijs virtutibus perpetuam in omnium animis vitam propagauit. Cæterum orationem hanc, quam penè in theatro totius orbis, ne dicam huius vrbis, imperio tuo habui, quod detrectare neque infantiæ, neque valetudinis excusatione fas fuit, ita excipe, vt luce tua splendeat clarissima. Hæc atrata, & omnibus etiam feralibus destituta ornamentis ipsas cimmerias quærebat tenebras. Si paululum splendoris tui illi impertiueris, spes est fore, vt aduentitius eidem in natiuum migret, incultum dicendi genus, horrorem ipsum gratum efficiat, & pulcrum, plausumque illi conciliet, quem ab auctore desperat. Faxit Deus, vt nobis diù viuas incolumis. VII. Id. Iunij M.DC.XXI.

ORATIO.



ORROR ille immensus, & improuisus, qui allato acerbissimo nuncio, proh dolor, mortis Philippi III. Austrij, Regis nostri Inuictissimi, & ter maximi, cum orta comploratione, vndiq; omnia suspirijs, gemitibus, lamentationibus, eiulatibusq; circumsonarẽt, artus, sensusq; meos omnes occupauit, & penè obstupefecit, eosdem perfudit hoc tempore, quo huc veni, atratosq; parietes, lugubria tecta, feralem hanc tabulatorum excelsam molem, tanquam quoddam Mausoleum sepulcralibus micans facibus, omnes pulla veste squalentes, oculis madentibus, vix planctibus temperantes, oculis meis pariter lacrymarum vim maximam manantibus subieci. Dicturus ex vetere consuetudine de laudibus talis, & tanti Regis, quo periculosis temporibus, tanquam Atlante Cælũ, vt in fabulis est, vniuersus Christianus Orbis verè nitebatur, quoque nemo propius ad priscos illos Reges accessit, qui pacis præclaris artibus, vitæ sanctitate, eximia in D.O.M. pietate, & religione excelluerunt, collata virium mearum imbecillitate cum rei magnitudine, vehementer equidem animo commouebar, & perturbabar. Vnum in præsentia vestra, viri Principes, vtriusq; potestatis, clarissima lumina, Senatus, Magistratus, omnesq; quotquot adestis, qua dicentium studia niti solent, & recreari, collocandum esse mihi putabam subsidium. Verùm enim verò funesta, & feralia omnia conspicio, illudq; prætereà mihi nunc potissimum aduersarium esse re ipsa experiens sentio, vndè certissimam opem mihi pollicebar. Quo animo existimatis, me in dicendo futurum, cùm vos omnes magnum in luctum, squaloremq; incidisse, doloremq; illum hausisse ex obitu tanti Regis videam, quem fortitudo vestra, omnibus nota, nequeat exhaurire? Fateor

hac

hac in re non esse quęrendam fortitudinis laudem, summamq; videri crudelitatem tanto casui non illacrymari. Verùm vos quæso, vt tandem mœrori modum statuatis, dùm Regi maximo, breui, & simplici laudatione iusta facio, pristinam constantiam, grauitatemq; reuocetis, ac retineatis, meque res longè supra vires molientem, adspectu vestro iucundissimo subleuetis. Conuertatur igitur vox mea ad illius Regis laudes, cuius oraculo tantùm illi tributum est auctoritatis, quantum Regijs manibus parentanti opus fuit. Vtinam diuino numine ea nunc mihi vis adflaretur, qua hoc munere, saltem aliqua in parte pro dignitate fungi possem. Ecquis enim putet se posse oratione Regis nostri facta æquare, quibus ille omnem humanam supergressus est conditionem?

Philippus III. Austrius Rex noster Potentissimus, cuius funus, exequiasq. maxima pompa celebrauimus, vbi primum licuit (licuit autem ante annos) ijs patrijs institutis cœpit assuescere, ijsq. Regijs disciplinis, & virtutibus erudiri, & formari, quibus quandoq. tantæ moli Imperij, quod vltimis terræ finibus terminatur, se parem atque adeò superiorem præstare posset. Cum adsiduè in maiorum vitas, tanquam in lucidissima specula intueretur, miro flagrabat ardore eorum vestigijs insistendi, qui Religionis cultu, & omni laudis genere immortalem sibi nominis famam conciliauerant, quiq. longè, lateq. prolato Imperio, pulsis iniustis occupatoribus, ipsas Herculeas columnas, vilissimos illius cancellos, & limites, quibus antea concludebatur, reddiderant. Nullus vnquam fuit Rex, qui tot maiorum fortia, & præclara facinora, domi, militiæq. terra, mariq., tam longam, & pulchram Principum, Regum, & Imperatorum seriem proferre, & sibi ante oculos posset proponere, quorum domesticis exemplis excitatus, nihil sibi ad summam contentionem Immortalitatis consequendæ reliqui faceret. Mitto vetustiora

illa nobilium historicorum consignata monumentis, quæ nulla vnquam delebit obliuio. Taceo veteres illos VVerneros, Adalbertos, Rodulphos, Cõrados, Albertos, Ernestos, Leopoldos, Fridericos, & alios, quibus tanquam fulgentissimis syderibus Austrium hoc Cælum collustratur. Ætas nostra, patrum, & auorum nostrorum non ne Maximilianos, Rodulphos, Ferdinandos in hoc veluti Imperatorum Seminario enumerare potest? Iactent igitur prisci illi Romani suos Iulios, Claudios, Liuios, & alios quotquot sanguine Illustres fuerunt. Iactent Lacedęmonij Heraclidarum gentis Nobilitatem. Arsacidarum generis Parthi claritatem ostentent, nàm in toto terrarum Orbe nullus vnquàm fuit nobilitatis splendor, qui huic Austrio æquari possit: quem prætere a Rex noster Caroli V. aui, & Philippi II. Patris fulgore cumulatum, ingentiq. sua virtute auctum posteris, quibus ad omnem gloriam viam communiuerat, reliquit. Ecquis est in terris tàm remotus locus, quem nominis sui fama gemini hi Heroes non compleuerint, qui ad viuum exprimunt Imperium Romuli, & Numæ, quorum ille bello, hic pace rem Romanam auxit, & propagauit? Carolus Auus Imperatorijs omnibus virtutibus ornatus Pompeij, & Cęsaris, Philippus Pater Marci Aurelij, & Traiani laudes maiori lumine penè obscurauit. In vtroque prætereà vberrima virtutum, tàm pacis, quàm belli seges effloruit. Tali, tantaq. nobilitate conspicuus Philippus Princeps noster, virtutum omnium, quæ longo tempore in illius animo coaluerant, septus comitatu, quem cohortem suam appellare consueuerat, anno post salutem restitutam MDXCVIII. cum ageret annum vigesimum in celsissimo illo maiorum solio collocatus, omnibus statim ad benè de publicis, priuatisq. rebus sperandum signum sustulit, seq. tanquàm absolutissimum exemplar Regię Maiestatis, & de cęlo delapsum Regem præbuit. Ea erat corporis venu-

ſtate, & pulchritudine Rex noſter, vt ipſis Gratiarum manibus factum videretur corpus, in quo tanquam in domicilio pulcherrimus animus habitaret. Emicabat ex eius adſpectu veluti ſpecies ingenitæ virtutis. Inerat in vultu grauitas ſingulari condita humanitate, Regiaq́. Maieſtas ſibi ſociam ita adſciuerat benignitatem, vt neq; hæc de illius auctoritate, neq; illa de iſtius beneuolentia quidquam detraheret. Hæc erant Regni ſolida munimenta, quibus Rex noſter inſiſtere conſueuérat, Prompti aditus, obuia comitas, Regia grauitas, diuina prudentia, ſumma Iuſtitia, ſingularis clementia, mira fortitudo, inaudita continentia, incredibilis erga ſuos omnes amor. Quamobrem nullus erat tàm ferreo, & ab omni humanitate remoto ingenio, qui nõ illum ſumma veneratione, eximioq́. amore proſequeretur. Diuini Platonis præclarum fuit dictum, virtutem ſpecie ſua, ſi oculis cerni poſſet, mirabiles ſui amores in hominum animis excitaturam. Quotus quiſque maiori ergà Regem noſtrum amore non flagitaſſet, ſi eius animum (is enim eſt quiſque, non ea figura, quæ digito demonſtratur) vidiſſet? Si regias illas virtutes, quarum luculentas ſignificationes ſemper dedit, oculis potuiſſet ſubijcere? Præcipuè autem, tanquàm Sirenum ſcopulos quicquid voluptatum blandiſſima titillatione, & illecebris corpus, animumq́. oblectare, & delinire poterat, euitabat, ita, vt frenatis omnium voluptatum cupiditatibus in ipſo adoleſcentię ęſtu, ſummaq́. rerum omnium poteſtate, & licentia (ò rem mirandam, & planè diuinam) perpetuæ, ſingulariſq́. continentiæ, & animi moderationis laudem ſemper conſeruaret. Verùm properat oratio mea ad illam virtutum omnium Principem, & reginam Religionem, quæ in Rege noſtro ſemper ita vſque à pueritia effulſit, vt in illius animo regiam ſuam collocaſſe, cęteriſq́. tanquàm comitibus, & adminiſtris virtutibus vti videretur. Nouerat optimè Rex noſter, nulla re magis Regna, & Im-

 peria,

peria, quàm Religionis cultu fulciri, & propagari. Neque verò huius rei Illustriora exempla, & arguméta aliundè, quàm ex domesticis maiorum annalibus suppetebant, qui genus Austrium ad hoc fastigium totius penè terrarũ orbis Imperij ob Religionis cultum peruenisse contestãtur. Quamobrem non verbis, sed vitæ exemplis se totum ad illam contulit, ardentissimoq. studio conseruandæ, & propagandæ Christianæ Religionis totidem annis continẽter exarsit, & pro ea bella suscepit, quot regnauit, itaut Catholici cognomen per se mereri potuerit, quod à Recaredo, Alphonso, alijsq; maioribus habuit hæreditarium. Testis mihi sit imprimis huius rei pręclara illa classis, quam viginti ab hinc annis, aduersus immanissimos Christiani nominis hostes Turcas, maximis sumptibus, magno vndiq; accito militum robore, comparauit. Volitabant toto mari Turcarum naues, Hispaniæ littora incursionibus, & latrocinijs infesta reddebant, raptos Christianos, infantes ipsos crudelissime à nutricum vberibus auulsos, & abstractos in seruitutem abducebãt, nihil iam tutum nobis erat rem maritimam publicè, vel priuatim obeuntibus, erãt Italiæ maria penè clausa, ita vt quicunque nauigaret mortis, vel seruitutis periculo se obijceret. Indignum id esse ratus Rex noster, quam potuit maxima classe, ad delendam illam Christiani nominis maculam Iuliam Cęsaream, vbi rapinę, Christianiq; homines inter ergastula, & catenas, vix miseram, & precariam animam retinentes, asseruabantur, nauigauit; eo nimirum consilio, & proposito, vt capta vrbe ab illorum ceruicibus seruitutis iugum, imminensq; alijs periculum depelleret. Licèt autèm prudenti, & pio magnanimi & fortissimi Principis consilio felix non successerit euentus, (incerti enim sunt bellorum, & præsertim maritimorum exitus) tamen pulcherrimo incępto non destitit; nàm tribus post annis instaurata classe eandem aggressus est prouinciam, in qua simili vsus fortuna, illud

 tamen

tamen profecit, vt maris liberam, & tutam nauigationem Christianis, sibi autem inuicti animi, diuinæq; voluntati acquiescentis, in quam curiosè inquirere non licet, laudem pareret immortalem. Fuit in Regis nostri potestate classem ædificare, & ornare, militum veteranorum robore firmare, nautarum, remigum, & omni tormentorum, & machinarum genere instruere, & munire, vndè funesti plumbei, ferreiq; globi, eluctātibus flammis, horrendo cum fragore emissi, hostium naues, & corpora fœdissimè disijcerent, & dilacerarent. At mari, ventis, sęuis turbinibus, tempestatibusque leges dare, id verò diuinæ fuit potestatis. Verùm nulla ventorum, nulla maris vis ardorem Regis nostri, cui maiorum, & propria virtus, Christianaq; religio pectus acribus stimulis perpetuò fodiebant, potuit extinguere. Quo magis maris ęstus efferuescebat, eo magis, ad tam pium bellum Rex generosus inflammabatur; ac nisi minax, & sęuus turbo, ab Aquilone aduersus Austrios ortus, qui tandem detonuit, impedimento fuisset, paratus erat tertio belli fortunam tentare, &, si opus fuisset, regij proprij sanguinis liberali profusione Christo litare, vitamq; quam nunc naturæ reddidit, pro vitæ, & naturæ auctore profundere. Hoc pariter Regis nostri flagrantissimum studium proferēdæ Catholicæ Religionis testatur Africa, quæ Barbarorum strata cadaueribus, eorundem impuro sanguine redundauit. In eam enim nō multis ab hinc annis Regia classis traiecit, eiusq; legens littora, & facta in terram exscēsione, oppida quamplura Mauritanię extra Gaditanum fretum, Hispanicis obiecta littoribus, vndè tetra Maurorum colluuies, & aliæ barbaræ gentes, & nationes in Christianorum perniciem inflammato studio rapiebantur, Regis nostri Imperio adiecit, vallo, propugnaculis, & omni belli apparatu aduersus hostium conatum, & impetum muniuit, & sepsit, illisq; ne in Hispaniam possent amplius irrumpere, viam obstruxit, quam nostris in omnes illius Regionis partes patefecit.

Illud

Illud prætereà egregium facinus, quod in ipſa Hiſpania patrauit Rex noſter ſuperioribus annis, omnium ſæculorum, & gentium linguis celebrandum, luculentiſſimum eſt argumentum odij implacabilis aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis, ardentiſſimæq; veluti ſitis conſeruandi candoris Chriſtianæ Religionis, quam cum lacte ſuxerat, & pro qua ſanguinem maiorum exemplo paratus ſemper fuit effundere. Mirabilem illam Maurorum eiectionem intelligo, quæ vna litterarum ſignificatione penè temporis puncto cōtigit, cum iam penè in immenſum alij alijs ſuccreuiſſent, neq; vllis remedijs, quæ adhibita fuerant, ad ſanitatem reduci poſſent. Immò verò latius in dies manante contagione, inita impiæ gentis contra Chriſtianos conſpiratio in maximam florētiſſimi Regni perniciem breui eſſet eruptura. Nullam exiſtimauit Rex noſter eſſe poſſe rerum humanarum ſocietatem cum ea gente, cum qua rerum diuinarum ſumma eſſet diſtractio, Iouinianiq; exemplo noluit ijs, qui Chriſtiani non eſſent, imperare. Maluit ſe, proceres ſuos, & vniuerſum Regnum ijs redditibus, qui ex gente illa vberrimi percipiebantur, quàm Deum iuſto, debitoq; cultu, quo nihil vnquàm habuit antiquius, fraudare. Potuit gentem illam vniuerſam immanium flagitiorum, criminis læſæ ſuæ, & diuinæ Maieſtatis compertam prorſus internecione delere. Sic Deus olim terrarum eluuione genus humanum, quod in omnia ſcelera, & flagitia præceps ruebat, ijs exceptis, quibus pietas profuit, vltus eſt vniuerſum Verùm eo, quòd nonnullis fortaſsè non probabatur, abſtinuit remedio, altero eſt vſus, vt totam illam peſtiferam nationem, Hiſpania, & Regnis ſuis extrudendam, exterminandamq; mandaret: eodem nimirùm pacto, quo in hominis corpore membra ſanguine, & ſpiritu defecta reſecantur, vbi periculum imminet, ne veluti peſtilenti adflatu, & contagione cæteris partibus noceant. Inter cætera Cn. Pompeij decora illud celebratur

tur

tur, quòd Rempublicam Romanam seruili, & piratico bello liberauerit. Marij eximia est laus, quòd Patriam sæpenumero seruauerit, cui dum seipsum seruat, senili corpore Minturnensium paludes nobilitauit. Non minor est, immò maior Regis nostri laus, qui ab vniuersi Christiani orbis ceruicibus, pulsa Maurorum gente, immanitate barbara, multitudine infinita, tàm grande profligauit periculum. Quam deindè laudem, adiecta Imperio, & Catholicæ fidei maxima parte Indiarum, quæ obeuntem solem intuentur, quæq; maximis terrarum, & maris interuallis ab orbe nostro dissitæ sunt, magis, magisque cumulauit. Nihil illi æquè cordi erat, quàm vt viros doctrina, & vitæ Innocentia insignes ad erudiendos populos illos noui orbis, veraq; religione imbuendos, ad quos neq; Romana, neque alterius gentis arma, & litteræ penetrauerant, mitteret, quorum præceptis, & vitæ exemplis expertus erat maiores in Catholica Religione progressus fieri, magisq; in officio homines illos, quos regio, & barbari ritus efferauerant contineri, & ad veri Dei cultum excitari, quam valida militum manu, omnibusq; copijs militaribus instructo exercitu. Et quamquam tot, tantisq; curis distinebatur, quot quantasq; tàm longè, lateq; patens Imperium, tam diuersa, eaq; grauissima bella flagitabant, tamen Inuictissimum Imperatorem Ferdinandum difficillimis hisce, & calamitosis temporibus domestico in bello crudeli, & periculoso ita iuuit exercitu, & pecunia, vt ille parta nonnullis abhinc mensibus gloriosissima victoria, non solùm ex hostium faucibus pulcherrimum Boemiæ Regnum eripuerit, crudelissimoq; Tyrannidis iugo eius Regni, & aliarum prouinciarum incolas liberauerit, sed etiam exsuto ipso perduelle patrio, & auito dominatu, ad opprimendas belli reliquias se contulerit: quas faxit Deus, vt felicissimè persequatur, prorsusq; deleat, antequàm è latebris hostis ille emergat, suis afflictis co-

pijs,

pijs nonnullorum animos ad misericordiam alliciat, sceleratiq; homines seditionis flabello Christi hostes, & perduelles contra Romanum Imperium accendant vehementius. Mitto alia infinita huius generis argumenta, quæ ostendunt Regem nostrum, quemadmodum Augustiore potestate, maiestate, & Imperio cæteris regibus præfulsit, ita Religionis conseruandæ, & amplificandæ flagrantissimo studio omnibus pręstitisse, easq; semper probitatis, & Christianę pietatis significationes dedisse, quarum non solùm Hispania, magnificentissimis ornata templis ebore, auro, gemmarum vnionumq; miro contextu fulgentibus, pijs regia stipe, & liberalitate collocupletata reditibus, alijsq; luculentissimis non ad exigui temporis prædicationem, sed ad memoriam sempiternam impressa vestigijs, verùm, vt verbo omnia complectar, testis est terrarum orbis vniuersus. Quamobrem cum ita semper bellum susciperet, & gereret Rex noster, vt pax ab eo quæsita videretur, omnesq; curas, & cogitationes ad propagandā, & conseruandā Religionem, tanquàm ad scopum collinearet, totus in Dei cultu esset, factum est singulari Dei benignitate, vt summa semper pace, & tranquillitate in Regno, quandiù illius clauum tenuit (rara in tanto Imperij fastigio felicitate) frueretur, populos fidei suæ à Deo concreditos obsequentes haberet, nullisq; in ipso Regno aduersæ fortunæ telis fuerit petitus, quæ alioquin non minus illius forti animo fuissent retusa, quam ingenti scopulo fluctus illidatur. Auxit eum prætereà Deus, ob hanc causam prole illa trium Heroum, quæ dubijs Christianæ Reipublicæ temporibus subsidio, quietis, & tranquillis ornamento semper erit. Hanc ex Margarita Austria, nulli Reginarum secunda suscepit, quàm meritò vnicè semper dilexit, & cuius obitu incredibilem animo contraxit mærorem, florentissimaq; domus Regia fuit perculsa. Hac vna re tantam, quam dixi, Deus, temperauit felicitatem.

Porro

Porrò tutæ, tranquillæquè huius pacis ea non leuis causa fuit, quod Rex noster in ijs deligendis, quibus Regnorum, & Prouinciarum mandaret Gubernacula, nil præter splendorem natalium, cognitam, probatamq. virtutem spectare consueuerat. Cuius rei non est, quòd longiùs petamus argumenta, cum præsentem intueamur Illustrissimum, & Excellentissimum Feriæ Ducem, quem ille nobis claro æquè genere, ac virtute Principem, summo cum Imperio voluit præesse. Cyri Persarum Regis vitam, & disciplinam non ad historiæ fidem, sed ad effigiem iusti Imperij, vt ait ille, scriptam, non ignoramus. At quicunque Philippi III. Regis nostri vitam litteris consecrabunt (quæ autèm erit, tàm ingrata ætas, quæ illius laudes conticescet?) verè perfectum exemplar iustissimi Imperij omnibus proponent. Sed quod caput est, Persarum Rex Ethnicorum more laudatur; Hispaniarum Rex, verè Catholicus, Catholicorum more omni tempore celebrabitur. Verum cum diuinæ illius essent virtutes, ideò post terrestria præmia, voluit eum Deus diuinis, vt auguratur animus, hoc tempore munerari. Terrestrem igitur, & caducam regiam coronam cęlesti & immortali Rex noster commutauit, promissamq. pijs creuit hæreditatem. Quod vt piè credamus, efficit trāsacta illius vita, quam eo fine conclusit, qui tali vitæ terrestri fuit consentaneus, & futuræ beatæ, & sempiternę argumentū. Narrarem hoc loco Aud. quo pacto ex hac vita Rex immortalitate dignissimus migrauerit, nisi vererer, ne hac commemoratione, tantum vulnus, quod accepimus, recrudesceret. Dicerem imprimis eum vitæ futuræ, & beatioris cogitatione ità se animo semper comparasse, quasi omni temporis puncto, ex hac præsenti, & omniū ęrumnarum plena esset discedendum, eaq. viuentem appetijsse, quæ morienti essent desideranda. Recenserem accepisse me à grauissimis viris, qui Regis nostri, non solùm facta, sed etiam

dicta

dicta meminissent, eum crebis solitum vsurpare sermonibus, neq. fas esse, neq. credendum, Christianum hominem, qui sibi alicuius noxæ esset conscius, nisi prius ritu Ecclesiæ eam expiasset, sordesq. omnes prorsus eluisset, posse cubitum discedere. Vt maximè aiebat obrepat somnus, nonne hic tanquam furiarum tędis ardentibus perterritus, & agitatus identidem è somno excitabitur? Nonne mortem, cuius ille est imago, & simulacrum formidabit? O verè diuinam vocem! O pium, & Regium animi candorem! O christianam Religionem omnibus seculis celebrandam! O Regem dignum, qui in animis mortalium, & in cætu illo immortalium, sempiternis bonis affluente perpetuò viuat! Adderem illum multò magis in eandem incubuisse cogitationem, Ecclesiæ Sacramentis, pane illo cęlesti, maxima cum testificatione Christianæ pietatis, se communisse, aduentante morte, quam cum breui futuram præsagisset, vocato ad se filio, cui Regni habenas erat traditurus, in maxima Hispaniæ procerum corona ea disseruit Rex noster, tanquàm Deo plenus, de terrestri hoc, & cęlesti Regno, summa semper constantia, nullo territus mortis metu, quibus tùm lacrymas ex eorum oculis expressit, tùm ardorem Christianæ Religionis generosis in pectoribus vehementius inflammauit. Non ommitterem alia, quæ in ipsa morte dixerit, feceritq. Rex noster, qui tandem interruptis, & morientibus vocibus, pacem Regno, sibi peccatorum veniam implorans, tradito per nuncios Philippo IIII. filio tunc dolore absenti Christi toto corpore sanguinem manantis simulacro, quod semper præ manibus, tanquàm Regni gentilitium insigne, hæreditariumq. sceptrum habuit, illum Regem inaugurauit, terrestrisq. regni possessione illi cessit, vt ipse cęleste adipisceretur. Verum ipsa horum omnium cogitatione dolorem renouari, lacrymasq. toto ore manare sentio. Cęlestia igitur illa in templa, vt piè credimus, Philippus III. Rex

abeunte

abeunte Martio, qui illo ineunte ęger decubuerat, penetrauit, prætcruectusq. huius vitæ ſcopulos, placidiſſimo illo in portu nunc conquieſcit. Quod ſi aliquid humanæ labis purgatorio igne adhùc luendum remanet, ſpes eſt fore, vt primo quoque tempore piorum precibus, tuis præſertim Illuſtriſſime, & ampliſſime Cardinalis, Federice Borromęe, horum Religioſiſſimorum Antiſtitum, gentiliſq. tui Diui Caroli, quem ille ſummo ſemper cultu, & veneratione proſecutus eſt, expietur. Frenandæ igitur tandem lacrymæ, cohibendus dolor, non eſt ob Regis noſtri mortem ingemiſcendum, ſed potius ob felicem ex hac mortalitate ad immortalitatem migrationem lætandum. Imploro Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Dux Feriæ hoc loco prudentiam, & fortitudinem tuam ſingularem, à qua pulcherrimè potes pellendi doloris remedia mutuari. Satis illi dediſti. Redde iàm te nobis, & quemadmodùm ſol exoriens diſiectis nebulis, ſplendore ſuo omnia complet, ita Excellentiſſime Princeps, diſcuſſa veluti mœſtitię caligine, priſtinam nobis reſtitue publicam hilaritatem. Accedit ingens doloris leniendi, ſeù potius lętitię cauſa, nam (quod felix, fauſtū, fortunatumq. ſit) rediuiuum Regem noſtrum, Patrem, & Auum in Philippo IIII. contemplamur, qui non ſolùm Regnorum, ſed etiam virtutum paternarum, & maiorum hæres extitit. Areſcant lacrymæ exorto hoc nouo ſole, quas alter occidens, cui Princeps, & moderator luminum nunquàm occidit, elicuit. Regis noſtri ardore efferueſcentis in maiorū imitatione exſiccętur humor, qui in genas idendem illabitur. Eorum eſt Heroum ſanguis, qui in plures anteą veluti deductus ſtirpes, rurſus in hoc formando, iuncta Margarita Auſtria, Philippo III. in vnum coaluit. Ea eſt inſtitutione, nàm pueritiam, & adoleſcētiæ partem in cultu honeſtarum virtutum tranſegit, quarum veluti lampade magis decet Regem coruſcare, quàm purpuræ fulgore omnium oculos præſtinguere. Ea Indole

dole, immò verò ijs regijs virtutibus iam præditus est, vt credendum sit, eum maiorum laudes æquaturum, optimi Regis numeros omnes impleturum, nihilq; habiturum antiquius, quàm vt populos sibi à Deo commissos quàm maximè beatos faciat, Christianam Religionem toto pectore colat, illius hostes bello persequatur sempiterno. Imago vera est Patris, & Aui. Quos igitur corpore refert, & nomine, eosdem animo, & factis ad viuũ exprimet. Nùnc reliquum est, vt omnes votis ritè conceptis, & nuncupatis, Deum precemur, vt, quod cupimus, & speramus, diutissimè, & felicissimè regnet Rex noster Philippus IV. à quo non minora, quàm ab alijs regibus, à quibus maxima accepimus, bona nobis possumus iure polliceri. Cuius rei en nobis obsidum loco non solùm ea, quæ dixi, verùm etiam præclara, & felicissima Regni initia, & incunabula tantæ spei, Catholiciq; cognomini, quod Regibus nostris gloriosissimum semper fuit valdè consentanea. Sit penès Brutos tyrannidis vindicandæ laus propria, & perennis. Sit Fabiæ genti susceptum aduersus Veientes familiare bellum eximio decori, & ornamento. Deciorum deuota capita pro exercitus, & Reipublicæ salute inter illius familiæ fumosas imagines celebrentur. Sit penes Scipiones toties victæ pristina bella renouantis, & tandẽ deletæ Carthaginis Immortalis gloria. Sit demum aliud alijs gloriosum, & peculiare palmarium. Nàm Regibus nostris meritò tributum Catholici honorificum cognomentum omnia complectitur decora, & ornamenta. Quo cùm dignissimum se iam præstiterit Philippus IV. iure possumus lęta præsagitione, eorumq; bonorum denunciatione oblectari, quæ præsentia propediem nos maiore perfundent iucunditate.




CERRAN. DELIN.
Bassianus F.